

NOVÆ HISPANIÆ
nova Tabula,

Trigesimatertia additarum, & 60. in ordine.



Ferdinandus Cortes, vir clarissimus, & intrepidus miles, primū hanc novam hispaniam a Columbo inuentam armis acquisiuit. In nulla alia huius noui orbis parte, inuenta fuerunt neque t̄ antea, neque tam magna & ditissima ciuitates quam in hac. Hæc pars cultior, ciuilior, & nobilior erat toto nouo orbe. nunc uero post Christianorum aduentum cultissima, ciuiliissima, & ob agrorum fertilitatem ditissima existit. Mexicon ciuitas maxima extat: quæ in medio existit aqua, quemadmodum Venetia. Apud populos Mexicon erat historia antiqua, hominum memoriæ per successionem mandata, quæ narrabat habitatores Mexicon ab aliunde uenisse, & quod per temporum successionem ueniret ex illius regionis ad quæ proprie pertinet, & suum capiet regnū. Rex & subditi antropophagi erant, immolatosq; uiros comedebant tantummodo. Regio fertilis est auri, argenti, & omnium metallorum. Rex Mexicon tantæ grauitatis erat, & uenerationis apud populos, quod uix considerari potest. De hac ciuitate & regione plura se offerunt dicenda quàm paruitas loci requirit, quæ missa facimus breuitatis gratia. Versus Septentrionem extat terra quæ florida ab inuentoribus dicta fuit. quorum habitatores in cursitando uelociores sunt ceruis. Incatant est uersus meridiem peninsula, cuius habitatores plurimum in bello ualent, non sunt fures, etsi homines immolant. Antropophagi tamen nō sunt, in uenatione exercentur, in quibus maxime ualent. Tota hæc regio ab hispanis est hodie habitata, in qua extant insignes ciuitates, regio temperatissima & homines diu uiuunt, omnibus rebus abundat. populi omnes ob hispanorum diligentiam christiani sunt. Versus occidentem Mexicon, extant ciuitates plures, & pelagus dictus rubrus, propterea quod similis est rubro mari. Mare autem occidentale dicitur del Sur, in quo plures extant Insulae, feraces margaritarum. reliquæ harum regionum in historijs noui orbis inueniet curiosus Lector uel in Historia uniuersali Clarissimi supracitati Geni, quæ breui Typis dabitur.